Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

meum inter infirma membra corporis sui. quia et inperfectum
meum uiderunt oculi tui et in libro tuo omnes scribentur.
Haec in latebra odorum non satago nimis. cum absunt non requiro.
cum adsunt non respuo. paratus etiam semper carere. Ita mihi ui
deor: forsitan fallor. Sunt enim et istae plangendae tenebrae.
in quibus me latet facultas mea quae in me est. ut animus
meus de uiribus suis ipse se interrogans. non facile sibi cre
dendum existimet: quia et quod inest plerumque occultum
est nisi experientia manifestetur. et nemo securus esse debet
in ista uita. quae tota temptatio nominatur. utrum qui
fieri potuit ex deteriore melior: non fiat etiam ex melio
re deterior. Una. spes. una fiducia. una firma promis
sio misericordia tua. Voluptates aurium tenatius me implicaue
rant et subiugauerant sed resoluisti et liberasti me.
Nunc in sonis quos animant eloquia tua cum suaui et artifi
ciosa uoce cantantur. fateor aliquantulum adquiesco. non
quidem ut haeream sed ut surgam cum uolo. Attamen cum ipsis
sententiis quibus uiuunt ut admittantur ad me. quaerunt
in corde meo non nullius dignitatis locum. et uix eis
praebeo congruentem. Aliquando enim plus eis mihi uideor ho
noris tribuere quam decet. dum ipsis sanctis dictis religio
sius et ardentius sentio moueri animos nostros in
flammam pietatis. cum ita cantantur. quam si non ita canta
rentur. et omnes affectus spiritus nostri pro sui diuersitate ha
bere proprios modos in uoce atque cantu. quorum nes
cio qua occulta familiaritate excitentur. Sed delecta
tio carnis meae cui mentem enaruandam non oportet
dari. saepe me fallit dum rationem sensus non ita co
mitatur ut patienter sit posterior: sed tantum quia propter